

## LIBER QUINTUS.

## TIT. I.—DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS, ET DENUNCIATIONIBUS.

Cap. 1. *Si legitimus*.—De persona accusatoris prius quærendum est in iudicio.

2. *Si quis*.—A denunciatione repellitur is, qui non præmonuit.

3. *Ille*.—Criminatio Prælati debet tractari coram illis, quorum interest.

4. *Omnipotens*.—Qui de aliquo crimine accusatur vel denunciatur, interim promoveri non potest.

5. *Nulli*.—Episcopus accusatus à suo familiari eum per exceptionem criminis ab accusatione repellere nequit, quem antè à sua familiaritate neglexerit separare.

6. *De his*.—Absolutus de certo crimine, de eodem iterum accusari non potest.

7. *Repellantur*.—Cohabitanes inimicis accusati, ab accusatione repelluntur.

8. *Accusasti*.—Ponit pœnitentiam accusatoris calumniosi; cum sequitur inde mors, vel membri debilitatio.

9. *Evidentia*.—Super notorio procedit Iudex, nemine accusante.

10. *Cum*.—Laici vel inimici Clericos accusare non possunt.— Exceptis casibus relatis in capp. *De cætero* 14. *de Testib.* et *Nulli* 5. hoc eod. tit.

11. *Ex parte*.—Monachus accusare potest Abbatem, et de bonis monasterii expensas litis necessarias habebit.

12. *Si constiterit*.—Presbyter ebriosus missam celebrans non præmissa digestionem, Ecclesia privari debet.

13. *Meminimus*.—Inimicus etiam à voluntaria exceptione repellitur.

14. *Licet*.—Dicens se aliquem accusaturum coram Iudice, ante inscriptionem potest sine pœna desistere et non accusare: sed ei desistenti silentium imponitur in perpetuum.

15. *Veniens*.—Ad prosequendam accusationem criminalem non ad-

1 Felix II. ad Ep. in Alex. Synod. cong.

2 Felix I.

3 D. Gr. Guidiscal. Duci Cam.

4 Idem Constant. August.

5 Pasch. *Nescitur an. I. vel II.*

6 Ex Conc. Mogun.

7 Steph. I.

8 Ex Burchard. Lib. 19.

9 Aug. super Gen. de morte Abel.

10 Alex. III. Galac. Elec.

11 Idem Wigor. Ep.

12 Alex. III. Amb. Ep.

13 Idem.

14 Inn. III. Bisun. Arch.

15 Idem Salish. Arch.

mittitur procurator, licet possit allegare causam absentiae, seu alias exceptiones non tangentes crimen propositum: et qui juravit stare mandato alicujus, non admittitur ad accusandum illum; si virtute juramenti sibi fuit injunctum, ut non accusaret.

16. *Super his*.—Denunciator criminis non se inscribit, quia ad correctionem tendit: accusator autem inscribit; quia tendit ad pœnam: excipiens verò inscribit ad pœnam extraordinariam, si per exceptionem dejicitur ab obtento; alias secus. Dum discutitur de crimine, per modum exceptionis potest intervenire procurator.

17. *Qualiter*.—Generales Inquisitores, si non servaverunt debitum inquisitionis ordinem prudenter et cautè, se corrigere debent. Ponit formam juramenti, quod Inquisitores exigunt ab inquisitis.

18. *Cum delicti*.—Si is, contra quem inquiritur, juravit respondere tantum ad interrogata, post confessionem auditur volens probare excusationes, quæ confessionem non perimunt, sed exponunt: secus si juraverit plenam et meram veritatem dicere.

19. *Cum oporteat*.—De veritate criminum non inquiritur, nisi prius constet de infamia: et tunc non inimici vel perjurii, sed idonei viri ad prosequendum inquisitionem, et ad testimonium admittuntur: et non probato crimine, indicitur infamatis purgatio.

20. *Cum dilectus*.—A denunciatione repellitur publicus concubinarium, excommunicatus et conspirator, et is, qui non præmonuit.

21. *Inquisitionis*.—Crimen probatum per modum inquisitionis regulariter pena ordinaria non punitur; sed si impedit ordinis executionem, fit depositio, sicut in accusatione: et si impedit tantum benefici retentionem, fit privatio à beneficio, nec poterit Iudex hanc pœnam moderari.—Contra non infamatum super veritate criminum inquiri non debet, etiamsi libellus famosus contra eum oblatus fuerit in secreto: nec super principali creditur testi, qui juratus dicit se illius, contra quem inquiritur, inimicum. Idem si hoc dicit ante juramentum, nisi præsumatur hoc dixisse in fraudem.—Non punitur quis de crimine, de quo non constat nisi per famam et testium credulitatem: et per dicta paucorum non debet quis apud Iudicem infamatus reputari.

22. *Ad petitionem*.—Si is, de cujus crimine in iudicio constat, petit restitutionem propter judicarium ordinem non servatum, non est audiendus; sed eum tanquam notorium criminosum debet superior de novo privare.

23. *Accedens*.—Agenti possessorio adipiscendæ in beneficialibus non

16 Idem S. Frid. Prior. et Mag. B. Can. Pis.

17 Idem Vercel. Ep. et Ab. de Til.

18 Idem Arch. Arel. et Val. Mag. Ab.

19 Idem Arch. Tarac. et Ab. S. M. de Populeto, et Archid. Barchin.

20 Idem.

21 Inn. III. Ep. Genev. et Vien. Sacr.

22 Idem Silv. Ep. et Latiniac. Dioec.

Paris. et Decan. Silvano.

23 Idem.

obstat exceptio criminis, nisi de eo sit infamatus: et infamato, accusatore non probante vel non aparente, indicitur purgatio, in qua si defecerit, punitur ut convictus.— Cùm hic non improbetur successio immediata collateralium seu transversalium in beneficiis, vide notata in cap. *Ex parte* 12. de offic. et potest. judic. deleg. "

24. *Qualiter*.—Superior contra subditum, maximè Prælatum, de his tantum inquiret, super quibus præcessit infamia, et tunc vocabit eum, et tradet illi capitula et nomina, et testium dicta publicabit, et ipsius legitimas exceptiones admittet: et probato gravi crimine, eum ab administratione removebit. In Regularibus verò Prælati ad unguem servandus non est hic ordo.— Hic etiam præcipitur Episcopum procedentem contra subditum in criminalibus teneri secum adhibere canonicos Cathedralis; sed hodie communiter contra eos circa hoc Episcopi præscripserunt, ideoque soli inquireunt: Fang. hoc eod. cap. n. 14. "

25. *Sicut olim*.—Metropolitani ad correctionem excessuum, et reformationem morum singulis annis facere debent provinciale concilium, in quo statuere debent personas idoneas per singulas Dioceses, quæ sollicitè investigent et in sequenti concilio referant corrigenda: et Episcopi debent facere Synodos episcopales singulis annis, et publicare agitata in provinciali concilio, et hæc negligentes ab executione officii suspenduntur.— Vide moderationem Elencho II. n. 155. "

26. *Olim V. V.*—Sententiæ excommunicationum, suspensionum, vel interdicti latæ post denunciationem per Abbatem denunciatum, vel alium pro ipso in monachos denunciantes vel adhærentes eisdem, relaxantur: spoliati restituuntur, et juramenta de tacenda veritate relaxantur: dicta testium denunciato traduntur, et expensæ de bonis monasterii monachis denunciantibus ministrantur: et propter hoc ab obedientia Abbatis non eximuntur, sine tamen litis præjudicio.

27. *Prælatorum*.—Contra Prælatum denunciatum de dilapidatione fit commissio super veritate inquirenda, et pendente negotio debet sibi interdicti potestas alienandi.

IN SEXTO.—Ibì tit. I.

Cap. 1. *Postquam*.—Ex confessione coràm Delegato inquirente super certis criminibus deputato facta, punitur confitens, licèt dicat se prius diffamatum non fuisse, vel inquisitionis capitula non habuisse.

2. *Si is*.—Valet inquisitio facta super veritate criminum, omissa inquisitione infamiæ, si reus præsens tacuit.

24 Idem in Conc. Later.

25 Idem ibidem.

26 Greg. IX. Arch. et Pr. S. M. Rothom.

27 Idem Ep. Cistren. et Ab. de Alde, et Saben.

1 Bonif. VIII.

2 Idem.

TIT. II.—DE CALUMNIATORIBUS.

Cap. 1. *Cùm fortius*.—Subdiaconus calumniosè accusans Diaconum, subdiaconatu privatur et publicè verberibus castigatur, et in exilium mittitur.— Ista verberatio in desuetudinem abiit: Clarus §. fin. q. 71. n. 2. "

2. *Cùm dilectus*.—Denunciator in probatione criminum deficiens, ab officio et beneficio suspenditur, donec innocentiam suam purget.

TIT. III.—DE SIMONIA, ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR VEL PROMITTATUR.

Cap. 1. *In ordinando*.—Episcopus pro Ordine ab eo conferendo, vel ministri, vel notarii nihil temporale exigere debent.— Vide Trid. sess. 21. cap. 1. de refor. "

2. *Qui alium*.—Deponendus est, qui per pecuniam aliquem ejecit de Ecclesia sua, se postea intrudendo.

3. *Si dominum*.—Quilibet catholicus admittitur ad accusandum de crimine simoniæ.

4. *Accusatum*.—Simoniacus, pendente accusatione, ab administratione divinarum prohibetur.

5. *Quoties*.—Idem dicit, quod cap. præced. : nisi quòd illud loquitur in accusatione, hoc in inquisitione; illud de simoniaco in genere, hoc declarat de Ordine.

6. *Sicut*.—Simoniacus est deponendus.

7. *Tanta*.—Simoniacus accusare possunt servus, meretrix, criminosi.

8. *Non satis*.—Simoniacum est pretium recipere pro ingressu Religionis, pro prioratibus, vel pro capellis concedendis et pro Prælati instituendis, pro concedenda sepultura, pro chrismate, pro oleo sancto, pro benedictionibus nubentium, vel aliis sacramentis; nec valet consuetudo contraria.— Circa pretium pro ingressu in Religionem, vide notata in cap. *Sanè* 1. infrà in extr. com.; et pro sepultura notata infrà in cap. *Suam* 29; et quoad pœnas pro simoniaca sacramentorum administratione servanda est constit. S. Pii V. *Cùm primum*. "

9. *Cùm in Ecclesia*.—Summa ut suprà.

1 D. Greg. Anth. Subd. Camp.

2 Inn. III. Zamor. Segov. et Abul. Episc.

1 D. Greg. in syn. Rom. an. ejus 5.

2 Ex Conc. Mogun.

3 Ex Decr. col. a Card. Deus dedit.

4 Ex Regest. D. Gr. Maximo intruso in Epis. Salonit.

5 Ex eod.

6 Luc. Papa: nescitur an. I. II. vel III.

7 Card. Deus dedit.

8 Alex. III. Arel. Arch. et Val. Mag. Abb.

9 Idem in Conc. Later.

10. *Cum sit.*—Nihil pro Ecclesiarum consecratione potest vel debet præter procuracionem exigi.

11. *De hoc.*—Convictus de simonia, deponendus est; idem de ea infamatus, si se non purgat.

12. *Cum essent.*—Simoniacum est pro temporali obsequio beneficium ecclesiasticum promittere.

13. *Insinuatum.*—Notorius simoniacus in beneficio, ab illo deponitur: sic de ea infamatus, si se non purgat.—Penas simoniacorum in beneficiis, vide in Auctore hoc eod. tit. §. 4., et in Const. Innoc. XII. *Ecclesia*, ac correctionem Elencho I. n. 53. "

14. *Nemo.*—Simoniacum est pretio vel favore celare peccatorem, vel reconciliare non pœnitentem, vel dignè pœnitentem à reconciliatione remove.

15. *Quærelam.*—Ecclesia emi vel redimi non potest.

16. *Ea, quæ.*—Pro chrismate ab Ecclesiis pecunia exigi non debet, etiamsi adsit consuetudo.

17. *Ex diligenti.*—Pro habendis spiritualibus homagium facere simoniacum est.

18. *Et si.*—Ordinatio vel consecratio non censetur simoniaca, licet Ordinatori aliquid donatum fuerit non ex pacto.—Vide correctionem Elencho II. n. 166. "

19. *Veniens.*—Abbas et majores de conventu, si pro receptione monachi receperunt pecuniam ex pacto, ab officio et beneficio suspenduntur: et taliter recepta pecunia restituitur, et in aliud monasterium ita receptus transfertur.—Vide ampliacionem Elencho I. n. 59. 60. "

20. *Ex tua.*—Si ordinandus præsentatori suo aliquid dedit ex pacto, simoniacum est; non tamen deponitur, si est occultum.

21. *Ad nostram.*—Mandamus, quatenus pro ministerio ecclesiastico exercendo, sive pro Vicariis assignandis, seu pro chrismate nullatenus pecuniam exigatis.

22. *De simoniaca.*—Cum simoniacè ordinato, ignorante simoniam dispensari potest.—Vide explicationem in Gonzal. "

23. *Matthæus.*—Si contradicens electo pro pecunia de voluntate electi tradita à contradictione cessat, electus postea confirmatus, est simoniacus, et beneficio renunciare tenetur.

24. *Ad aures.*—Pro absolvendo excommunicato pretium exigi non debet.

25. *De regularibus.*—Monachi per simoniam, ipsis scientibus, rece-

10 Idem Vigil. Ep.  
11 Idem Tolet. Arch.  
12 Idem Eborac. Arch.  
13 Idem Cistren. Ep.  
14 Idem.  
15 Idem Vigor. Ep. et Prior. de Patejar.  
16 Idem.  
17 Idem Paren. Piccardo.

18 Idem Strigon. Ep.  
19 Idem.  
20 Idem.  
21 Idem Herford. Archid.  
22 Luc. III. Arch.  
23 Idem Turon. Arch.  
24 Idem.  
25 Clem. III.

pti, ad arctiora monasteria transferuntur: si autem ipsis ignorantibus, post notitiam habitam in iisdem vel in aliis monasteriis ejusdem Ordinis poterunt collocari.

26. *Ex insinuatione.*—Si quis canonicatui renunciens, ad quem per simoniam ignoranter assumptus fuerat, postea de novo assumatur ad illum, non potest ex prima receptione sibi aliquid vindicare.

27. *Nobis.*—Electio simoniaca est cassanda, si propter hoc Electoribus promissa fuit pecunia, quamvis electus ignoret, nisi hoc factum fuerit in fraudem electi. Cum electo reprobato per vitium simoniæ non dispensat Episcopus.—Circa simoniam in electione Papæ, vide Fagnan. hoc eod. cap. "

28. *Dilectus.*—Qui dat Prælato pecuniam, ne ipsum in jure suo de facto molestet, illam repetit, si Prælatus promissa non servet.

29. *Suam.*—Pro benedictionibus nubentium et exequiis mortuorum nihil exigi debet.—Hæc prohibitio intelligenda est, quando quod exigitur, nec jus, nec publica auctoritas, nec consuetudo exigere permittit. Glossa, et cap. *Ad audientiam* 42. hoc eod. tit. verba *Nituntur.* "

30. *Dilectus.*—Si per accusationem constat monachum simoniacè fuisse receptum, receptus et recipiens deponuntur: si verò per inquisitionem, receptus in arctius monasterium detruditur. Recipienti verò et majoribus pœna condigna imponitur; et interim ab executione Ordinum sacrorum suspenduntur.

31. *Licet.*—Abbas contra testes, qui deposuerunt contra eum de simonia in judicio inquisitionis excipere potest, quod sunt inimici et conspiratores; alias verò exceptiones criminum opponere non potest.

32. *Per tuas.*—Declarat an et quando testes criminosi admittantur in crimine simoniæ.

33. *Sicut.*—Non imputatur electo confirmato, si eo prohibente, pro ipsius confirmatione pecunia data fuit.—Vide Extravag. *Detestabile* 2 infra. "

34. *Tua nos.*—Si clericus cum pacto confert Ecclesiæ bona sua, ut in ipsa recipiatur in canonicum, et illa sibi retineat pro præbenda, simonia committitur: secus si hoc fiat sine pacto.

35. *Per tuas.*—Non debet quis Ordinem recipere ab eo, quem credit simoniacum, sed ministrare potest in illis, quos prius ab isto recepit.

36. *In tantum.*—Pro chrismate vel investitura Ecclesiarum nil exigere debet; nec excusat consuetudo vel nominis variatio.

37. *Per tuas.*—Ordinatus in subdiaconum, qui prius præsentatori

26 Idem.  
27 Caelest. III.  
28 Id. Lincen. Ep. et Prior. de Eractoponte et Arch. de Marin.  
29 Inn. III. Ab. de Jugo Dei, et N. Prior. de Seillin.  
30 Id. Cantuar. Arch.  
31 Id. Prior. S. Victor. et Mag. J. Bo-

32 non. et L. Modocen. Canon.  
33 Idem.  
34 Id. Ab. Gemblac.  
35 Id. Decan. Belvac.  
36 Id. Prior. Gartus.  
37 Id. Cantuar. Arch.  
38 Idem.

suo promisit, quòd nil ab eo peteret, in suscepto ministrare, vel ad superiores Ordines ascendere sine dispensatione non potest, licèt peccare non crediderit.

38. *Consulere.*—Simonia est dare pecuniam pro Vicariatu, vel pro alia administratione rerum spiritualium seu ecclesiasticarum habenda; et dantes et recipientes ab illa Ecclesia sunt ejiciendi.

39. *Sicut.*—Simoniacum est aliquid exigere pro consecratione Episcoporum et benedictionibus Abbatum et ordinationibus Clericorum: nec excusat consuetudo.

40. *Quoniam.*—Religiosi pretio recepti, una cum recipientibus de monasterio expelluntur, et in arctioribus monasteriis ad agendam pœnitentiam detruduntur: sed recepti ante istud Conc. ponebantur sic recepti in aliis locis ejusdem Ordinis, nisi, ob multitudinem queant alibi collocari; ità tamen quòd renuncient primæ receptioni, et de novo recipiantur.

41. *Audivimus.*—Episcopi nil exigere debent, ut permittant in Ecclesiis sibi subjectis Clericos institui, monachos profiteri, vel mortuos sepeliri; alioquin exacta restituentur duplicata.

42. *Ad Apostolicam.*—Sacramenta sunt liberè conferenda: cogit tamen Ordinarius laicos observare laudabiles consuetudines.— Vide correctionem Elencho II. n. 157. "

43. *Ne Dei.*—Prohibet Abbates Cirtercienses solemniter installari: et ponit formam obedientiæ, quam præstant suis Episcopis.

44. *Jacobus.*—Recepto in canonicum debetur præbenda et redditus, consuetudine non obstante, quòd non servaverit pravam consuetudinem de aliquo temporali dando ipsis canonicis.

45. *Si quis.*—Qui ordinavit aliquem sub promissione de non petendo ab ipso provisionem, Ordinator per triennium à collatione, præsentator ab executione Ordinum etiam per triennium suspensi sunt: Ordinatus ab Ordine perpetuò sit suspensus, et solùm Papa cum eis dispensat.

46. *Mandato.*—Facultas concessa à Papa dispensandi cum monachis simoniacis ob aliquod datum pro receptione in monasterium extenditur etiam ad dispensandum cum Abbate, ob id pariter simoniaco, licèt nulla de eo facta fuerit mentio in mandato; cùm et ipse veniat sub nomine monachorum.—Ob simoniam merè mentalem non tenetur quis resignare spiritualia vel temporalia simoniacè acquisita.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibì tit. I.

Cap. 1. *Sanè.*—Pastus vel jocalia exigentes, et etiam dantes pro religionis ingressu, si sint singulares personæ, excommunicationis; si

38 Idem.  
39 Id. in Conc. Lat.  
40 Idem ibid.  
41 Idem ibid.  
42 Idem ibid.

43 Hon. III. univer. Ab. et Frat. Ord. Cist.  
44 Greg. X. Prior. S. Th. Aicul.  
45 Idem.  
46 Idem.  
1 Urb. IV.

conventus vel capitulum, suspensionis sententias ipso facto incurrunt; et utriusque vinculi absolutio Papæ reservatur, aliis pœnis in suo robore duraturis, nisi ingredientiè aliquid spontè et sine pactione obtulerint.— Hanc decretalem quoad moniales paciscentes de dote, licèt monasterium sit locuples, et quoad ordinarium numerum, de quo in textu esse revocatam tradit hïc Glos.; imò et Cabasut jur. can. Theor. lib. 5. cap. 5. n. 17. dicit revocatam esse ab In. VIII, Mart. V, Clem. VII et VIII. "

2. *Cùm detestabile.*—Simoniaci, cujuscumque dignitatis aut status, sunt ipso facto excommunicati; nec habent simoniacè ordinati Ordinis executionem.—Electiones aut aliæ provisiones simoniacè factæ non valent, nec jus percipiendi fructus tribuunt. Mediatores simoniæ eadem censura ligantur, absolvendi à solo Papa, cui omnes prædicti sunt revelandi.— Hoc cap. confirmatum est à S. Pio V. Constit. *Cùm primum* §. 8. et beneficia sic obtenta dimittenda sunt ante omnem declarationem, non obstante ignorantia facti etiam invincibili, seu bona fide, scilicet tertio simoniam operante, ut ex cap. *Nobis* 27. et cap. *Sicut* 33 suprà. "

TIT. IV.—NE PRELATI VICES SUAS, VEL ECCLESIAS SUB ANNUO CENSU CONCEDANT.

Cap. 1. *Præterea.*—Qui dat pecuniam, ut episcopalem vel spirituale jurisdictionem exerceat, officio privatur; et sic conferens, illud amplius conferre non poterit, et punietur.— Vide ampliacionem Elencho III. nùm. 43. "

2. *Quoniam.*—Summa, ut suprà.— Vide ampliacionem Elencho III. nùm. 44. "

3. *Quoniam.*—Regimen Ecclesiæ sub annuo censu committi non debet.

4. *Querelam.*—Fructus Ecclesiarum sub annuo censu concedi possunt.

TIT. V.—DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR PRO LICENTIA DOCENDI.

Cap. 1. *Quoniam.*—Ecclesia cathedralis providere debet magistro de beneficio, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ, et alios pauperes gratis doceat: et vendens licentiam docendi, aut interdicens idoneum ad docendum, beneficio privatur.— Vide cap. *Quia nonnullis* 4. infrà. "

2. *Prohibeas.*—Pro licentia docendi nil exigere debet vel promitti; et

2 Paul. II. Venet.  
1 Alex. III. in Conc. Lat.  
2 Idem.  
3 Id. in Conc. Tur.

3 Id. Exon. Ep.  
1 Ex Conc. Lat.  
2 Alex. III. Winton. Ep.

exactum restitui et promissum remitti debet: negligente inferiore Prælato magistrum constituere, supplebit Superior.

3. *Quanto*.—Pro licentia docendi pecunia exigi non debet, licet adsit consuetudo.

4. *Quia nonnullis*.—In qualibet cathedrali Ecclesia, vel alia in facultatibus sufficienti debet à Prælato vel capitulo unus magister eligi, cui redditus unius præbendæ debent assignari. In metropolitana verò Ecclesia etiam eligi debet theologus; et si ad grammaticum et theologum non sufficit, provideri ipsi theologo ex redditibus suæ Ecclesiæ, et grammatico faciat provideri in aliqua Ecclesiarum suæ civitatis vel Diocesis.—Vide moderationem, ac correctionem Elencho II. à n. 158 ad 160. "

5. *Super specula*.—Prælati et capitula ad studia theologiæ scholares dociles transmittere tenentur, qui in absentia redditus præbendarum suarum et beneficiorum per quinquennium integraliter percipient: et si proprii redditus ad sustentationem studii eis non sufficiunt, debet Prælati cum capitulo eis providere: magistri verò donec docuerint, integrè percipiunt fructus beneficiorum suorum.—Onus transmittendi scholares ad studia, et eis providendi in defectum priorum reddituum abrogatum est à contraria consuetudine. Glos. 1. hic. Quoad perceptionem fructuum beneficiorum durante hac quinquennali absentia, vide Elencho I. num. 61. "

IN CLEMENTINIS.—Ibì tit. I.

Cap. 1. *Inter*.—In studiis Romanæ Curia, Parisien., Oxonien., Bononien. et Salamantino, debent esse magistri catholici, scholas regentes in linguis hæbraica, arabica et chaldæa; duo scilicet pro qualibet lingua. Et statuitur per quos eis debeat de stipendiis et sumptibus provideri.

2. *Cum sit*.—Is, ad quem spectat magisterium vel doctoratum tribuere, priùs à doctorando recipiat juramentum, quòd in solemnitate sua non expenderit ultra summam trium millium Turonensium argenteorum. Quod si non fecerit, etiamsi sit Episcopus, per sex menses à collatione magisterii est suspensus.—Olim Comites Palatini lauream magistralem conferre poterant. "

TIT. VI.—DE JUDÆIS, SARRACENIS ET EORUM SERVIS.

Cap. 1. *Præsenti*.—Si servus à judæo emptus causa mercimonii factus est vel fieri desiderat christianus, pro 12 solidis redimitur.

2. *Multorum*.—Judæus christianum in servum habere non potest: in adscriptitium verò potest.—Ex textu permissum est judæis bona

3 Id. contra Cancell. Paris.  
4 Inn. III. in Conc. Lat.  
5 Honor. III.  
1 Clem. V. in Conc. Vien.

2 Idem.  
1 Ex Conc. Maticon.  
2 D. Greg. Lunen. Ep.

immobilia possidere; sed derogatum est à Paulo IV. Constit. *Cum nimis*; vide Constit. S. Pii V. *Romanus* et Clem. VIII. *Cæna*. "

3. *Judæi*.—Judæi antiquas sinagogas retinere possunt, sed non novas erigere.

4. *Quia*.—In die veneris sancta non licet judæis tenere ostia vel fenestras apertas.

5. *Judæi*.—Excommunicari debent christiani, qui in domo serviunt judæis vel saracenis, sive paganis: sicut et Principes sæculares præsumentes spoliare judæos baptizatos suis bonis.—Retentionem bonorum judæis baptizatis indulget etiam Paul. III. Constit. *Cupientes*, licet dicta bona acquisita fuerint ex usuris, dummodò non notæ sint personæ, quibus essent restituendæ. Quam Const. confirmavit Clemens XI. Constit. *Propaganda*: imò §. 17. ampliavit favore filiorum conversorum tam hebræorum, quàm infidelium quoad legitimam et subtractionem à patria potestate. "

6. *Ita*.—Christiani deferentes saracenis merces prohibitas, vel in ipsorum navibus navigantes, excommunicati sunt, et rebus eorum privandi: et efficiuntur capientium servi.—Vide cap. *Ad liberandum* 17. et ampliationem Elencho I. n. 62. "

7. *Consultuit*.—Summa ut c. *Judæi* 3. suprâ.

8. *Ad hæc*.—In familiari servitio judæorum christiani esse non debent.

9. *Sicut*.—Judæi inviti non sunt baptizandi, nec ad hoc cogendi, nec sine judicio puniendi, aut rebus suis spoliandi, vel in suis festivitibus molestandi, nec ipsorum cœmeteria violanda, aut eorum corpora exhumanda.—Cogendi tamen sunt accedere ad audiendas conciones statutis temporibus ex Const. Greg. XIII. *Sancta mater* et Clement. XI. *Propaganda*. "

10. *Quam sit*.—Ponit duas indulgentias illorum, qui paganis prædicant.

11. *Significavit*.—Pro redimendis captivis licet ire Alexandriam, jurantibus, quod nihil deferent auxilii, sed subsidii extra redemptionis articulum. Portans vel mittens, etiam post treugas, merces prohibitas, excommunicatus est: et pacis appellatione non veniunt treugæ.

12. *Quod olim*.—Excommunicati sunt, qui cum saracenis tempore belli aliquod habent commercium; vel eis præstant subsidium.

13. *Et si*.—Judæi nutrices, vel servientes christianos habere non debent: contrafacientibus interdicitur christianorum commercium.—Idem statuitur à Paulo IV. Constit. *Cum nimis*: nec christiani admit-

3 Id. Januar. Ep. Calarit.  
4 Alex. III. Massilien. Ep.  
5 Ex Conc. Lac.  
6 Ex eod.  
7 Alex. III.  
8 Idem.

9 Clem. III.  
10 Idem.  
11 Idem.  
12 Idem.  
13 Id. Arch. Sen. et Ep. Paris.

tere possunt ad se curandum judæos medicos sub pœna in eos admittentes subtractionis Sacramentorum, et ecclesiasticæ sepulturæ ex Constit. Gregor. XIII. *Alias piæ.* "

14. *Postulasti.*—Judæus percutiens Clericum, temporaliter puniatur; et si puniri non potest, interdicitur illi christianorum commercium, donec satisfecerit injuriam passo.

15. *In nonnullis.*—Judæi et saraceni utriusque sexus debent in terris christianorum uti habitu, per quem à christianis discernantur, et in die passionis Domini non debent in publicum progredi.— Quoad primum idem statuit Paul. IV. Constit. *Cùm nimis.* "

16. *Cùm sit.*—Præficiens judæum vel paganum publicis officiis per Concilium provinciale corripitur; et præposito denegatur christianorum commercium, donec deposuerit officium et in usus christianorum pauperum restituet inde quasita secundum Episcopi providentiam.

17. *Ad liberandam.*—Repetit statutum in c. *Ita* 6. suprâ et addit pœnam satisfactionis tempore absolutionis impendendam.— Hic excommunicantur deferentes arma et alia ad belli apparatus facientia ad saracenos: item in vendentes eis galeas aut naves, vel in eorum piraticis navibus gubernationem exercentes, aut machinis, vel quibuslibet aliis rebus aliquod eisdem auxilium impendentes, vel consilium in dispendium Terræ sanctæ; sed hodie hæc excommunicatio, et pœna non est in usu, quia Terra sancta ab infidelibus detinetur. Thes. verb. *Arma* c. 5. "

18. *Ex specialis.*—Judæi vel pagani publicis officiis præficiendi non sunt: et si eis regalia jura vendantur, ad ea colligenda præficiendus est christianus non suspectus.

19. *Nulli.*—Nulli judæo baptizatum, vel baptizari volentem emere liceat, vel in suo servitio retinere. Quod si quem nondum ad fidem conversum causa mercimonii emerit, et postmodum factus sit, vel fieri desideret christianus, datis pro eo 12 solidis, ab illius servitio protinus subtrahatur. Si autem intra tres menses ipsum venalem non exposuerit; vel ad sibi serviendum emerit eundem, nec ipse vendere, nec alius audeat comparare; sed nullo dato pretio, perducatur ad præmia libertatis.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. II.

Cap. unic. *Cedit.*—Principes christiani compescere debent saracenos sibi subjectos ab invocatione publica nominis Mahometi; et à peregrinatione, quam facere solent ad sepulchrum ejus.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII.—Ibi tit. VIII.

Cap. unic. *Copiosus.*—Excommunicantur portantes prohibita infidelibus et saracenis Regni Granatæ.— Vide cap. *Ità quorundam* 6. et cap. *Ad liberandum* 17. hoc eod. tit. suprâ. "

14 Idem.

15 In Conc. Later. sub Inn. III.

16 Ex eodem.

17 Ex eodem.

18 Greg. IX. Astor. et Lucen. Ep.

19 Idem.

U. Clem. V. in Conc. Vien.

U. Joan. XXII. Aven.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. II.

Cap. I. *Multa.*—Christiani arma portantes ad infideles christianos impugnant, ipso facto sunt excommunicati, capientium servi, infames et intestabiles tam activè, quàm passivè, et eorum bona confiscata.— Vide cit. c. 6. et 17. suprâ.—Cùm hæc excommunicatio lata sit contra deferentes ad saracenos Egypti, hodie non est in usu, quia Regnum Egypti non est sub saracenis. Thes. Verb. *Arma* c. 7. "

2. *Dignum.*—Judæi ad fidem conversi, non sunt in bonis molestandi; ne sint deterioris conditionis post baptismum, quam ante.— Vide notata suprâ in c. *Judæi* 5. "

TIT. VII.—DE HÆRETICIS.

Cap. I. *Dubius.*—Infidelis est, qui non habet certitudinem fidei: et infideli non est credendum in præjudicium alterius.

2. *Qui alios.*—Errare in fide convincitur, qui alios errantes, cùm potest, ab errore non revocat.

3. *Firmissimè.*—Hæreticus perseverans, æternaliter damnatur; cui nec prodest baptismus, nec eleemosyna, vel martyrium, vel aliud quodcumque bonum quoad hoc, ut consequatur vitam æternam.

4. *Fraternitatis.*—Damnato Auctore, damnantur ejus scripturæ, libri et opera.

5. *Si quis.*—Episcopus instituens hæredem hæreticum consanguineum vel extraneum, vel paganum, etiam post mortem excommunicatus nunciatur.

6. *In eos.*—Idem dicit quod cap. præced. et extendit pœnam ad Presbyteros et alios Clericos.

7. *Cùm Christus.*—Christus fuit verus Deus et verus homo: sentiens oppositum, hæreticus est et excommunicatus.

8. *Sicut ait.*—Hæretici, receptatores et fautores eorum excommunicati sunt (excommunicatione non reservata, sed postea reservata in Bulla Cœnæ), et decedentes in hoc peccato in cœmeterio Ecclesiæ sepeliri non debent; nec pro eis orare.— Vide ampliationem Elencho III. n. 46. "

9. *Ad abolendam.*—Hæreticus malè sentiens vel malè docens de Sacramentis Ecclesiæ, excommunicatus est: et convictus, nisi se correxerit, et errorem abjuraverit, si Clericus est, degradetur, et Curia seculari tradatur, per quam etiam laicus puniatur. Eadem est pœna suspectis de hæresi, si se non correxerint; et relapsis omninò

1 Clem. V.

2 Joan. XXII.

1 Steph. Omnib. Ep.

2 Leo Pap. Turibio Ep. Astur.

3 August. de Fide.

4 D. Greg. Anastas. Antioch.

5 Ex Conc. Afric.

6 Ex eodem

7 Alex. III. Remen. Arch.

8 Ex Conc. Lat. sub Alex. III.

9 Luc. III.